

De illegitimo vasorum cursu
hominibus innato.
Fick, F.L.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

CLARISSIMO

FRIDERICO TIEDEMANN,

MEDICINAE CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI, ORDINIS LEONIS ZARINGENSIS DECURIONI ORDINIS ET BORUSSICI PRO LITERARIIS ET CORONAE BAVARICAE PRO CIVILIBUS MERITIS TUM A GRAECIAE REGE IN REDEMTORIS HONOREM INSTITUTI EQUITI SPLENDIDO, MAGNO DUCI BADENSI A CONSILIIS INTIMIS, IN ACADEMIA RUPERTO-CAROLINA NUPER ANATOMIAE ET PHYSIOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI ET FRANCO-GALLICI ET BATAVI, ACADEMIARUM LITERARUM PETROPOLITANAE, BEROLINENSIS, MONACENSIS, HOLMIENSIS, TAURINENRIS, BONONIENSIS, CATANIENSIS, BOSTONENSIS COLLEGAE, SOCIETATUM LITERARIARUM GOTTINGENSIS, LONDINENSIS, EDIMBURGENSIS, ACADEMIAE MEDICORUM PARISIENSIS, COLLEGII CHIRURGORUM ET LONDINENSIS ET DUBLINENSIS, SOCIETATIS ZOOLOGICAE LONDINENSIS, SOCIETATUM NATURAE SCRUTATORUM ET MEDICORUM QUAE ATHENIS, BASILEAE, BEROLINI, BONNAE, DRESDAE, ERLANGIAE, FRANCOFURTI, GENEVAE, HALAE, HAMBURGI, HOLMIAE, IASSII IN MOLDAVIA, MARBURGI, MOSCOVIAE, NEAPOLI, PRAGAE, TURICI, VINDOBONAE ETC. FLORENT SODALI,

SUMMOS

DOCTORIS MEDICINAE CHIRURGIAE ARTIS OBSTETRICIAE

HONORES

ANTE

QUINQUAGINTA ANNOS

HOC IPSO DIE RITE IMPETRATOS

GRATULATUR

ORDO MEDICORUM MARBURGENSIS

DIE X. MARTII MDCCCLIV.

Inest: Ludovici Fick Tractatus de illegitimo vasorum cursu hominibus innato cum tabulis duabus.

MARBURGI.

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.

Q. B. F. F. Q. S.

MEDICORUM MARBURGENSIUM ORDO

FRIDERICO TIEDEMANN

VIRO ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO, CLARISSIMO.

Post quinquaginta annos peractos ordo medicorum denuo Te doctorem suum salutat, et suum quidem doctorem, quamvis longum ante tempus Tu vir excellentissime civis illustris reipublicae doctorum virorum, patriae majoris civis et decus factus sis.

Summos honores summosque titulos grata doctorum virorum respublica Tibi tribuit; et in Germania, et id quod rarius Germanis doctis accidit in Angliae et Franciae terris Tu laurum meruisti; altius vero etiam atque perennius universis hisce licet summis honoribus Tu Tibi ipse posuisti monumentum literis Tuis, quas tales scripsisti, ut methodi severae piae experimentalis omnibus temporibus futuris exemplum durent.

Accipias vir illustrissime spectatissime honoratissime animo salvo hilari nostra pia vota.

Vale et salve!

De illegitimo vasorum cursu hominibus innato.

Componentibus nobis singula, quae totius corporis evolutionis ratio de sanguinis vasorumque sanguiferorum origine docet, eius processus, quo systematis vasorum forma constituitur, haecce fere effingitur imago.

Primum omnium duae illae notissimae germinis partes, quas vocant germinis folia a se disiunguntur, quorum alterum ad vitellum spectans, blastemata organorum chylopoeticorum, alterum ad velamenta versum, organorum ad systema nervosum pertinentium principia in se continet. Quo facto tertia quaedam pars inter duas primarias secernitur, in qua sanguis et vasa oriantur. Quae tres partes vocari solent folium animale sive serosum, folium vegetativum sive mucosum, folium vasculosum. In folio animali singulorum organorum partitio atque explicatio incipitur primo, ibique ex duplice lege architectonica fit. Primum enim singulae formae ex axis corporis lateribus dupliciter enascuntur, deinde vero totum folium cum omnibus suis singulis formis bilateralibus crescendo ceteras duas germinis partes zonatim circumdat, ut seipsum et totum embryonem absolvat et circumscribat.

In folio vasculoso, quod inter duo illa folia iam prius explicata prosternitur, nihilominus singulorum organorum formatio prius quam in folio mucoso oritur. Neque tamen folii vasculosi explicatio iisdem regulis fit, quae in explicando folio seroso inveniuntur, sed satis superque apparet, *in hoc folio motum quendam sive agitationem quasi ex centro in omnes peripheriae partes procedere et ab omnibus hisce partibus in eundem, unde profecta est, locum recurrere.*

In tertio autem germinis folio singulorum organorum formatio etiam tunc nondum incipit, postquam ea folii animalis organa, quae postremo formari solent, adeo iam progressa sunt, ut oculis adspici ac nominibus significari possint, et in folio vasculoso futurum cor iam vere apparuit. Quod folium vegetativum, prius quidem maximum tamen ab animali superescente ab omnibus partibus circumcluditur, et iam satis nature adeo adstringitur et a vitello separatur, ut cavum quoddam exsistat, scilicet tractus alimentarius. Quo facto in unico illo loco, quo communicatio cum vitello fieri potest (ubi postea formatur umbilicus), utre alimentario latiore facto copia materiae vitelli maior cumulatur, nil nisi locum centralem simulans, ex quo intestinorum canalis formetur. Iam satis apparet, posteriores folii vasculosi formationes quodammodo immutari folio animali iam prius in organa sua explicato, quod folium animale organa sua explicans in universum summas conditiones illius formae constituit, quam corpus per totam vitam retinet. Quomodo autem folium animale ad vasculosi explicationem pertineat eamque moveat, iis quae sequuntur accuratius exponendum erit. Diligentius enim totam explicationem observantes illa de re primum cognoscimus: organa iam formata fluenti sanguini folii vasculosi, quod nullas alias formas nisi molles vasorum parietes constituit, resistere posse, praeterea autem illa organa idoneas folii vasculosi partes et sanguinem in iis currentem adeo attrahere posse, ut certae folii vasculosi partes cum certis organis extra hoc folium formatis confun-

dantur et prorsus coalescant. Quae confusio non minus inter partes folii vasculosi et organa folii vegetativi, quae postremo excoluntur, fit, quam inter folium vasculosom et organa folii animalis, quae ante omnia cetera explicantur.

Ex hisce igitur, quas statim proferam, causis permanentes formae circulationis sanguinis deducendae erunt, quae in folio vasculoso primo componitur:

I. Primum hoc loco notandum est, quod processus explicativus et formativus, qui in folio vasculoso fit, ab initio ad certum polum refertur, quae polarisatio, ut ita dicam, primo centrifugali et centripetali agitatione punctisimilis cordis agitur, quod cor originale sanguinem a se tamquam centro per folium vasculosum medio inter primaria duo germinis folia transmittit atque toti vitello aut toti ovi peripheriae circumfundit, ita ut per vicissitudinem virium mollecularium sanguinis et uteri parietis extra proprium embryonem formationem placentae excitet atque efficiat.

II. Deinde huc spectat organorum embryonis efficacia, quae, ut supra iam monuimus est, duplicis rationis est.

a. Primum enim organa embryonis paullatim explicata certis viribus mollecularibus aptas sanguinis copias sive potius propinquas folii vasculosi partes cum sanguine in iis contento ad se attrahunt atque deinde has folii vasculosi partes, quibuscum iam coaluerunt, laciniarum instar protrahunt, ubi primaria collocatio organorum magis magisque excultorum commutatur. —

Qua re sanguinis viae, quae omnes primo velut radii a corde profectae sunt, ex parte quidem distorquentur aliaeque sanguinis viae provocantur, quae maxime lacunas et canales, qui inter singula organa vacui manserunt, sequuntur.

b. Omissis autem his distortionibus, quibus folium vasculosum primitus plane expansum, quum singulae eius partes cum organis

paulatim externis coalescunt, mutatur viae sanguinis, quae princi-
pio radiis similes a corde progrediebantur, cum ante illam folii
vasculosi cum ceteris foliis coalitionem impetu folii serosi, quod
cum rudimentis capitis et trunci (Kopfkappe und Schwanzkappe)
incurvatur et ab utraque latere [illegible] circumcludit, eo modo
comprimuntur, ut ab his certis partibus ubi rimae ac spatii vacuum
relinquuntur, quo sanguis inter duo germinis folia et in venam eorum
circumfluunt.

Ea, quae modo diximus, ad sanguinis circulationem, qualis postea fit,
transferentes, facile intelligimus, circulationis organa primum in duas
partes distribuenda esse, quae secundum originem valde inter se differunt.
— Retia enim capillaria originem ad sua rimae inter telas singularum
organorum sunt, quas rimas sanguis invadit et perfluit, postquam pars
aliqua folii vasculosi cum organo respondente coalescit. — Arteriae vero
et venae sunt veri canales folii vasculosi earumque fiunt venae folii
vasculosi formationem. Ipsum autem folium vasculosum cogitandum est
*primo ex duabus blastematum tabulis inter folium vegetativum et animale
stratis constare, quae singulae a singulis foliis progressae spatio inter
sese interiecto vera ad sanguinem formandum blastemata circumdederunt.*
Sed haec duo folii vasculosi strata, ubi ab organis folii animalis pro-
germinantibus ideoque folium vegetativum organibus comprimuntur, stra-
tim in unam membranam eodem modo coalescunt, ut exempli gratia dura
mater cerebri et periosteum cavi cranii. Eodem enim modo atque illa
ibi tantum, ubi organa folii animalis compressionem non efficiunt, inter-
valla relinquunt, quae sanguis inde ab illo cordis loco perfluat. Hae autem
sanguinis viae postea arteriae et venae exsistunt.

Quum folii vasculosi substantia sola excolere possit proprias telas
parietum arteriarum et venarum: sanguis, qui per rimas a singulis orga-
norum partibus vacuas relictas, quae postea capillaria vasa fiunt, perfluit,

longe aliter definitur quam per arteriarum et venarum parietes, quod discrimen apud plurima organa in eo consistit, quod venae et arteriae prorsus solidae sint neque plasmata per parietes exsudare possunt, capillaria vero vasa plasmatis sunt perviae.

Intuentes autem certo quodam tempore tria germinis folia cum omnibus suis organis trium planarum membranarum speciem praebere, quae ordine alia super aliam incurvatae sunt, facile intelligimus singula organa folii animalis et vegetativi cum iis locis folii vasculosi, quos primo attingunt, coniungi et quasi ferruminari posse. Ad illud autem respicientes, quod organa singula, quae primitus in una planitie licet curvata aliud praeter aliud strata sunt, crescendo fere omnia inter sese et immittuntur et removentur, hoc quoque cognoscimus, organa hoc modo cum singulis folii vasculosi locis ferruminata tales partes folii vasculosi aut singulas sanguinis vias velut lacinias ad ea loca secum trahere posse, ubi postea toto organismo perfecto, semper sedent. Ipsum autem folium vasculosum ne minimum quidem resistit, quin singulae suae partes ita distrahantur, quum omni modo extendi possit. Hac ratione haud pauca organa, quae principio fortasse proxime ad arcum aortae collocata sunt longe removentur et ramum folii vasculosi secum ferruminatum longe abstrahunt. Ubi autem inter organa, quae laciniam folii vasculosi iam attraxerunt, etiam alia nova organa progerminant, haec coalescentia cum proxima primigenia folii vasculosi lacinia sive ramo etiam novos folii vasculosi ramos secundarios protrahere possunt.

Hac ratione satis apparet, qui fiat, ut etiam organismo magis explicato folium vasculosum in trunco inter peritoneum et ventris parietem musculosam ut membrana in fistulae speciem clausa (quam vocant peritoneum externum, Langenbeckianum) occurrat, quae tamen foliacea ab intestino in mesenterium trahitur et per femoris canalem arborisimilis ad extremas membrorum partes deducitur, ubi vagina vasorum vocatur, deinde autem

inter singula femoris organa ramis magis magisque subtilibus diffunditur, qui tandem in organorum hilis et capillaribus vasis evanescunt. De singulis igitur arteriis merito quaeri possit, num laciniosa illa distortione folii vasculosi formatae, an ab iis sanguinis viis folii vasculosi reliquae sint, quae ad primam centrifugalem et centripetalem circulationem inter cor et ovi velamenta efficiendam formationibus folii animalis urgentibus effectae sunt, antequam organorum ferruminatio capillarisque circulatio inter organa et folium vasculosum iis locis formata sit, in quibus talis coalitio fit.

Certo constat cor et aortam cum radiis suis zonisimilibus (quo verbo liceat uti), qui secundum arcus vertebrarum (intercostales) currunt, neque minus omnes formationes vasculosas, quae trans embryonis fines ad ovum pervadunt, ea vasa esse, quorum via *mutatur quidem* vi formationum folii animalis sed *primitus procreantur* solius folii vasculosi agitatione; ea vero sanguinis itinera, quae caput, extremas membrorum partes, intestina tangunt, magnae illae vasorum provinciae habendae sunt, quae *procreantur* sicut *configurantur* per nil nisi organorum singulorum explicationem, quae iis respondent.

His praemissis certo recte indicaverimus arteriarum systema animalium vertebratorum in duas partes distinguendas esse, quarum altera eas arterias complectitur, quae originalem folii vasculosi circulationem continent, et licet impetu vertebrarum animalium quoad formam modificata tamen semper folium vasculosum illud primitivum repraesentat. Hae in omnibus animalium vertebralium generibus adeo congruunt, ut semper eodem modo initio constent ex corde cum aortae viis in velamento capitis incurvatis,

intercostalibus zonisimilibus, et aortae vasis duobus bilateralibus superiobus atque duobus parallelis inferioribus, quae secundum velamenta capitis et trunci ad anteriorem corporis partem incurvantur, mammariis scilicet et umbilicalibus (ad umbilicum nempe propagatis). Quum autem illae arteriae folii vasculosi cum propinquis organis illo tempore, quo primum haec cum folio vasculoso connecti incipiunt, per capillaria vasa coniungi possint: duo superiora vasa longitudinalia (mammariae), quia in omnibus animalibus mammalibus organa velamenti capitis celerius explicantur, mox viae vasorum inter cor et venam terminalem esse desinunt eo tempore, quo cum organis velamenti capitis coalescunt. Inferiora vero umbilicalia, donec placenta formetur, fere solum ea ratione eaque vi explicantur, quam ab origine acceperunt et minores tantum ramos propinquis organis attribuunt. — Eodem modo omnes laterales zonisimiles rami aortae, intercostales scilicet, capillari coniunctione cum propinquis organis perfecta mox iam tolluntur itaque primariam suam vim, ex qua circulationem inter cor et ovi velamenta efficiebant, amittunt. —

Quum haec pars organorum apud omnia mammalia plane eadem ratione componatur, circulandi organa alterius generis, quod, ut supra iam attigimus, circuitionem sanguinis in arteriis carotidis, subclaviae, iliacae et viscerum vasis complectitur in variis mammalium classibus admodum varie formantur.

Corde et aortae restrorsum et sinistrorsum directione iam data difficile non erit distributionem arteriarum, qualis postea perpetuo manet ex vicissitudine summarum illarum causarum deducere, quae formationem, ut supra vidimus, constituunt. Varia enim distributio arteriarum, quae in singulis mammalium classibus invenitur, necessario ex varia explicatione folii animalis sequetur.

Difficillimum fortasse videbitur, intelligere qui fiat, ut apud omnia mammalia carotis tam longe praeter regionem subclaviae praeterfluat,

nullos ramos in eam immittens, quanquam subclavia magna ex parte (cum thyreoidea et vertebrali) ea vice fungitur ut carotidis regionem suppleat. Quae difficultas, quamvis magna primo aspectu videatur, statim tamen nobis aufertur respicientibus ad eam collocationem, quam illa organa vel vasorum provinciae in embryonis vita eo tempore obtinent, quo organorum circuitus formari incipit. Constat enim illo tempore velamentum capitis (Kopfkappe) cuius antica organa provinciam carotidis constituunt, super pectoralem partem embryonis et arcum aortae adeo incurvatum esse, ut regio carotidis et regio subclaviae nequaquam altera *super* alteram, sed altera *pone* alteram posita sit, ita ut utraque aequis intervallis ab arcu aortae distet. —

Valde difficilis ea quaestio erit, a quanam causa collocatio cordis et cursus aortae deducenda sint. Id quidem facile intelligi potest, cur inter omnia vasa primam esse formationem illoque, quem tenet, loco formatum esse, quia hoc maxime loco ab altera parte in folium vegetativum urget vitelli materia, qua imbibita materies sanguinis formandi in folium vasculosum penetrat, ab altera autem parte in organis folii animalis quasi lacuna exsistit quae folio vasculoso aptissimum hunc locum dat, quo proprias suas formas explicet et sanguinis formationem efficiat.

Sed quomodo fiat, ut maximum flumen sanguinis, quod ex centro folii vasculosi primo ob angulum et lacunam provocatam necessario sursum et retro deinde ob velamentum capitis deorsum ducitur, ut hoc flumen, ubi columnam vertebrarum sequitur, a *sinistra* parte neque a dextera se vertebris applicet, id nullo modo explicari potest ex iis quae huc usque de historia evolutionis nota sunt.

Ex iis, quae adhuc diximus, satis apparebit, multis locis systematis arteriarum in distributione viarum sanguinis etiam apud singula animalia eiusdem speciei variationes quasdam occurrere posse, quas illegitimas sive regulae contrarias esse nequaquam dicere possumus. Ita si duae vasorum

laciniae sibi propinquae, quae ex eadem sanguinis via tamquam rami prodeunt, nunc separatae nunc ad parvum spatium in trunco communi coniunctae proveniunt: prorsus immerito altera originis forma legitima altera illegitima dicitur, ubicunque tria illa vasa, de quibus sermo fit, non originalibus viis folii vasculosi sed secundariorum generi adnumeranda sunt. Multo potius de distributione earum stirpium arteriarum, quae iam supra ut derivatae originalibus viis folii vasculosi oppositae sunt, i. e. de distributione arteriarum carotidis, subclaviae, iliacae et arteriarum viscerum fluctuationem quandam et variationem intra certos fines regulae loco statuamus. Quod mirandum non est, quum carotidis, subclaviae, hypogastricae, similium distributio in certas organorum provincias, quae ramos aut omnes directos aut ex parte inter se coniunctos i. e. truncos illos compluribus arteriis communes contineant, nequaquam absoluta lex naturalis sit, velut ea necessitas ut quodvis organum sanguinem in se recipiat, sed ista distributio duntaxat ex formali typo directa sit, quos typos earum regularum esse constat, quae exceptionibus confirmentur. Quo certius autem varietas distributionis complurium arteriarum normae loco statuenda est, eo difficilius esse apparet eum terminum definire, quo regularis variatio ab enormitate illegitima discernatur.

Certo miserandum est, hanc regularem varietatem in arteriis distribuendis ab iis, qui hac de re scribunt, non satis agnosci itaque saepe controversias inter eos exoriri de vera regula, qua arteriarum stirpes distribuantur et de vera origine singularum arteriarum. Profecto facile erit vero rerum statu agnito inter anatomicos hac de re certum pactum facere. Anatomici enim omnes ea de re consentiunt, Tiedemanni opus de arteriarum distributione in corpore humano longe eximium esse, et quum certo in aeternum praestantissimum sit futurum, neque metuendum sit, ne unquam ab opere posteriore eandem rem tractante superetur aut a loco suo removeatur — nunquam enim quisquam tam vastum et immanem labo-

versas supra planum medianum corporis, velutsi exempli gratia dextera subclavia a sinistra parte proficiscitur, ex probabili causa repetere non possumus, nisi hoc sumimus, forte folium vasculosum per exceptionem tam mature iam formasse parietes vasculosas, ut laciniae aortae, cuius arcus primitus non oblique in thorace superiore a dextera ad sinistram sed directe ab antica ad posteriorem partem conversus erat, loca quibus in aortam influunt non iam movere neque solitum ordinem occupare possint.

Si quis quaerat, num ulla aberratio iis formationibus adnumeranda sit quae ex inhibita evolutione prodeunt (Hemmungsbildung vocant), ex antecedentibus iam apparet hoc plane negandum esse. Quum enim formae arteriarum nulla alia re configurentur nisi partim impulsu sanguinis formandi, qui inter duo germinis folia ubique defluere petit, partim forma organorum extra folium vasculosum ortorum, quum igitur vasorum formatio ubique ex alienis rebus pendeat, ideo nunquam per se ipsam turbari potest, nisi causa et ratio formationis folii vasculosi in universum turbatur; sed turbatio omnis folii ipsius vasculosi non ludationes in decursu arteriarum creat, sed potius irritat totam evolutionem foetus aut prorsus tollit.

His de causis ea quoque sententia falsa habenda est, quae similitudinem inter quasdam arteriarum aberrationes a solita hominum circulatione et regulares formationes quorundam animalium ita interpretari vult, quasi certis evolutionis temporibus sive periodis formae circulationis humanae quibusdam formis, quae apud animalia inveniuntur, similes essent et hae formae proprie transeuntes explicatione ad finem non perducta per totam vitam (quasi Hemmungsbildungen) permanentes fieri possent.

Certe constat, apud homines distributionem magnarum stirpium arteriarum saepissime eo modo immutari, ut variis distributionibus diversorum animalium similis fiat. Atvero hoc maxime ostendit arteriarum

configurationem plane ex formali explicatione organorum pendere, quum tales enormitates demonstrent, folium animale in singularibus suis organis evolvendis variationes efficere posse, quae regulis explicativis generum animalium maxime discrepantium similes sint, ideoque etiam variationes in distribuendis arteriis efficere, quae huic illi bestiarum speciei exsistunt analogae. Tales igitur hominum et animalium similitudines in distribuendis magnis arteriarum stirpibus nil nisi apertiores similitudines in formali evolutione folii serosi certo aliquo tempore habendae sunt. Hae autem nullam difficultatem parant, quum satis constet folium serosum singularia vivendi organa apud omnes animalium veıtebratorum species valde simili modo formare.

Ceterum commutationes dexterae et sinistrae partis, quae in corde licet raro inveniuntur, explicari nullo modo possunt, praecipue quum regularis cordis collocatio, ut supra iam monuimus non alia ratione considerari possit nisi factum morphologicum neque ulla ratione directio aortae ad sinistrum latus intelligi possit. Sed quum causae plane ignotae sint, quae originitus collocationem cordis et directionem arcus aortae ad sinistram partem constituunt, maximi vero momenti sint hae duae res ad formam systematis circulationis componendam, hac ex re in universum quidem intelligi potest, fieri posse, ut causa illa quae, licet incognita sit, adesse tamen debet, a loco suo mota etiam collocationem omnium cordis partium, arcus aortae omniumque magnorum vasorum in iis inhaerentium plane convertat, id quod quamvis rarissime revera invenitur. Exempla autem exstare, quibus recta cordis collocatio simul cum conversa directione arcus aortae ad dexteram partem pro sinistra invenitur, satis probat directionem partium cordis et arcus aortae non ex una eademque causa sed ex diversis causis pendere.

Ea, quam postremo indicavimus circulationis variatio certo inter omnes maxime delectat sed etiam rarissimo invenitur. Tiedemann qui-


dem in magno suo opere eam notavit et fontes quoque addidit, quibus tales observationes pluribus descriptae sunt. Patruban quoque denuo talem casum descripsit, sed quum eiusmodi exempla omnia digna sint, quae notentur neque effigies, quam dedit Patruban satis apta sit, casus huc pertinens, quem hieme proxima observavi iure meritoque viris doctis proponendus esse mihi videtur.


Adiungo aliam arteriarum distributionem a regula aberrantem, quam et ipsam proxima hieme observavi in vasorum quadam regione, quae rarius anatomicorum animos ad se convertit. Haec enormitas in decursu intercostalium arteriarum eo magis animos nostros delectet, quum vertebralium arteriarum formationem repetens cetera argumenta, quae nos docent, in colli vertebris obliquos processus pervios, quos dicunt, nil nisi veras continuationes obliquas coniunctas cum costarum rudimentis esse, etiam confirmet.

De utroque praeparato praeterea nihil addendum esse puto, quum imagines appositae satis loqui videantur, neque de eorum historia, id quod doleo, fere quidquam dicere possum, quum utrumque pulcherrimum exemplum, ut fieri solet, in singulis cadaverum partibus, quas praeparandas iuvenibus studiosis tradideram, tum demum animadverterim, quum continua totorum cadaverum scrutatio non iam fieri potuit. —

Id tantum addere mihi liceat, quod cordis praeparatum malefici in ergastulo Cassellano mortui fuit, alterum incolae ergastuli Ziegenhainensis. Uterque peripneumonia obiit mortem. Delineavi praeparata sicuti sicca servavi.

Taf. I.




L. Eick ad nat. del.
